



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 2. Quid est Lex Naturalis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

SECTIO II.

De Lege Divina.

Q. 1. *Quid est Lex Æterna?*

Resp. Lex Æterna latè sumpta est summa ratio, quâ Deus omnia regit, & gubernat: strictè sumpta est ordinatio, & voluntas Dei, qua Deus ab æterno statuit, ut à creatura intellectuali fierent ea, quæ ex naturâ rei necessaria sunt ad vivendum decenter, ac conformiter naturæ suæ intellectuali, & omitterentur ea, quæ naturam intellectualem dedecent, ex S. August. L. 22. contra Faustum c. 27. dicente: *Lex aeterna est ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* Hinc non differt à lege naturali, nisi quòd hæc superaddat promulgationem factam in tempore per lumen naturale: Lex enim naturalis nil aliud est, quàm Lex æterna strictè sumpta, naturæ rationali per lumen naturale intimata; habitualiter quidem per rectam rationem, actualiter verò per dictamina rectæ rationis.

Q. 2. *Quid est Lex Naturalis?*

Resp. Est Lex divina creaturæ rationalis impressa, præcipiens quidquid ex natura
rei

rei necessarium est ad vivendum decenter, ac conformiter naturæ rationali ut rationali, & prohibens quidquid ex natura rei dedecet naturam rationalem ut rationalem; atque etiam statuens ea, quæ ex se necessaria sunt ad valorem actuum.

Hanc obligare sub mortali in re gravi, fide constat ex ad Rom. 1. *Qui talia agunt (contra legem naturalem) digni sunt morte.* Et c. 2. *quicumque sine lege (Scripta) peccaverunt, sine lege peribunt*, propter peccata scilicet contra legem naturalem commissa. Enimverò legem naturalem violans in re gravi, offendit graviter Deum, quem non potest invincibiliter ignorare esse illius authorem. Porro Christus explicuit, & sancivit præcepta moralia legis naturalis, eorumque omnium observationem præcepit. Quare Lex omnis naturalis est etiam Evangelica quoad materiam, seu rem præceptum, & veritatem.

Q. 3. An Lex naturalis præcipit, ut semper fiant actus honesti, ac boni?

Resp. Aff. Quia Lex naturalis præcipit, ut homo semper vivat decenter, seu agat modo consentaneo naturæ suæ rationali, quæ rationalis est: & sic præcipit homini id omne, quod necessarium est ad vivendum, seu agendum semper honestè